

ex numero puteorum quinque unum ad uenam perduxerit in ceteris sicut supra scriptum est opus sine intermissione facito; ni ita fecerit alii occupandi potestas esto. Qui post dies XXV praeparationi impensarum dal[aj]s opus quidem statim facere coeperit diebus autem continuis decem postea in opere cessauerit alii occupandi ius esto. Puteum a fisco uenditum continuis sex mensibus intermissum alii occupandi ius esto ita ut cum uenae ex eo proferentur ex more pars dimidia fisco salua sit. — [Occu]patori puteorum socios quos uolet habere liceto ita ut pro ea parte qua quis socius erit impensas conferat. Qui ita non fecerit tum is qui impensas fecerit rationem impensarum factarum a se continuo triduo in foro frequentissimo loco propositam habeto et per praecorem denunciato sociis ut pro sua quisque portione impensas conferat. Qui non ita contulerit quine quid dolo malo fecerit quominus conferat quoue quem quosue ex sociis fallat is eius putei partem ne habeto eaque pars socii sociorum ut qui impensas fecerint esto. Et ij[s] coloni[s] qui impensam fecerint in eo puteo in quo plures socii fuerint repetendi a sociis quod bona fide erogatum esse apparuerit ius esto. Colonis inter se eas quoque partes puteorum quas a fisco emerint et prelium soluerint uendere quanti quis potuerit liceto. Qui uendere suam partem quine emere uolet aput proc. qui metallis praecrit professionem dato; aliter emere aut uendere ne liceto. Ei qui debitor fisci erit donare partem suam ne liceto.

§ 5. Venas quae ad puteos prolatae iacebunt ab ortu solis in occasum ij quorum erunt in officinas vehere debebunt; qui post occasum solis vel noctu uenas a puteis sustulisse conuictus erit is ∞ nummos fisco inferre debeto. Venae furem si seruos

erit procurator flagellis caedito et ea conditione uendito ut in perpetuis uinculis sit neue in ullis metallis territorisue metallorum moretur; prelium serui ad dominum pertineto; liberum procurator confiscato et finibus metallorum in perpetuum prohibeto. — Putei omnes diligenter fulti destinatique sunt proque putri materia colonus cuiusque putei nouam et idoneam subicito. Pilas aut fulturas firmamenti causa relictas attingere aut uiolare dolo malo quid facere quominus eaepilae fulturaeue firmatae et peruia sint ne liceto. Vi puteum utiatisse labefactasse decapitasse aliudue quid dolo malo fecisse quominus is puteus firmus sit conuictus erit si seruos erit flagellis arbitrato proc. caesus ea conditione a domino ueniat ne in ullis metallis moretur; liberi bona proc. in fisco cogito et finibus ei metallorum in perpetuum interdicito. — Qui puteos aeriarios agat a cuniculo qui aquam metallis subducat recedito et non minus quam quinos denos pedes utroque latere relinquito. [Cu]niculum uiolare ne liceto. Proc. explorandi noui metalli causa ternagum a cuniculo agere permittito ita ut ternagus non plures latitudinis et altitudinis quam quaternos pedes habeat. [V]enam intra quinos denos pedes ex utroque latere a cuniculo quaerere caedereue ne liceto. [Q]ui aliter quit in ternagis fecisse conuictus erit seruos flagellis arbitrato proc. caesus ea conditione domino ueniat ne in ullis metallis moretur; liberi bona proc. in fisco cogito et finibus ei metallorum in perpetuum interdicito. — Qui puteos argentarios a cuniculo qui aquam metallis subducat recedito et non minus quam sexagenos pedes utroque latere relinquito et eos puteos quos occupauerit adsignatosue acceperit in opere uli determinati erunt habeto, nec ultra procedito